



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1605

Epist. CXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

EPIST. CXII.

DESPERAT de amico reformando, veterè annorum & vitiorum.

CVPPIO mehercule amicum tuum formari, vt desideras, & institui: sed valde durus capitur, imò potiùs, quod est molestius, valdè mollis capitur, & consuetudine malà ac diutinà fractus. Volo tibi¹ ex nostro artificio exemplum referre. Non qualibet infitionem vitis patitur. si vetus & exesa est, si infirma gracilisq̃ue: aut non recipiet furculum, aut non alet, nec applicabit sibi, nec in qualitatem eius naturamq̃ue transibit. Itaque solemus supra terram præcidere: vt, si non responderit, tentari possit secunda fortuna, & iterùm repetita infra terram inseratur. Hic de quo scribis & mandas, non habet vires. indulgit vitis: simul & emarcuit, & induruit. Non potest recipere rationem, non potest nutrire. At cupit ipse. Noli credere. non dico illum mentiri tibi: putat se cupere. Stomachum illi fecit luxuria: citò tamen cum illà redibit in gratiam. Sed dicit se offendi vitã suã. Non negauerim. quis enim non offenditur? homines vitam suam & amant simul, & oderunt. Tunc itaque de illo feremus sententiam, cum fidem nobis fecerit, inuisam iam sibi esse luxuriam. nunc illis malè conuenit.

EPIST. CXIII.

QVAESTIO, An Virtutes sint Animalia? Stoicè assertit esse: itemq̃ue Vitia, & Affectus. Post ridendam nobis hodie disputatiunculam, à talibus auocat, ad vtilia vitæ vocat.

DESIDERAS tibi scribi à me, quid sentiam de hac quæstione iactatã apud nostros: An iustitia, an fortitudo, prudentia, ceteraq̃ue virtutes, animalia sint. Hac subtilitate efficitur, Lucili carissime, vt exercere ingenium inter irrita videamur, & disputationibus nihil profuturis otium terere. Faciam quod desideras, & quid nostris videatur, exponam. Sed me in aliã sententiã profiteor esse. Puto quædam esse, quæ decent phæcastium palliatumq̃ue. Quæ sint ergo quæ antiquos mouerint, dicam. Animum constat animal esse: cum ipse efficiat, vt simus animalia, & cum ab illo animalia nomen hoc traxerint. Virtus autem nihil aliud est, quàm² animus quodammodo se habens: ergo animal est. Deinde: Virtus agit aliquid: agi autem nihil sine impetu potest: si impetum habet, qui nulli est, nisi animali: animal est. Si animal est, inquit, virtus, habet ipsam virtutem. Quid ni? habet seipsam. Quomodo sapiens omnia per virtutem gerit, sic virtus per se. Ergo, inquit, & omnes artes animalia sunt, & omnia que cogitamus, quæque mente complectimur. Sequitur, vt multa animalium millia habitent in his angustiis pectoris, & singuli multa simus animalia, aut multa habeamus animalia. Queris, quid aduersus ista respondeatur? Vnaquæque res ex istis animal erit, multa animalia non erunt. Quare? dicam, si mihi accommodaueris subtilitatem & intentionem

EPIST. CXII. I. EX NOSTRO ARTIFICIO.] Nam ipse cultor horti, & vinearum exitiis. Suprà epist. CIV.

EPIST. CXIII. I. QUÆ DECENT PHÆCASTIUM.] Id est Græcum. cuius gentis, Phæcastia, & Pallium; vt Romanorum, Calcei & Toga. Vide De Benefic. VII. cap. XXI. Alij hic deesse suspicantur, non mihi visum. Continuo sententiam: Ego aliud sentio, nec Græcis illis Stoicis assentio. quare? decorè quadam illi, homines concessu omnium arguit & scholastici; quæ nos minime, Romani & graues, & serio philosophi.

2. ANIMVS QVODAMMODO SE HABENS.] Stoicorum hoc crebrum, in compendio sic tangere potius, quàm ponere. Vt: Quid est Animus? Spiritus quodammodo se habens: & plura, quæ occurrunt. Quia scilicet locus hic non est definiendi, & tantum exempli gratiã tale ponitur.

3. HABET IPSAM VIRTUTEM.] Nescio an, ipsã virtute. Id est, Si virtus animal, per virtutem est animal. Quod fatetur, & respondet. Ita statim legas: habet seipsã.

HH 4

4 QUID.